

HIS QUIBUS DISPLICET, QUOD BONIS MALE, ET MALIS SIT BENE,
SATISFACERE DEBERE LAZARI ET PAULI EXEMPLA.

Duo absolvimus, et ut arbitramur, non incongrue nobis hujusmodi cecidit disputatio. Tertium genus quaestionis residet hujusmodi: Cur peccatores abundant opibus et divitiis, epulentur jugiter, sine moerore, sine luctu: justi autem egeant, et afficiantur aut conjugum amissione, aut liberorum? Quibus satisfacere debuit illa evangeli parabola, quod dives byssō et purpura indrebatur, et epulas copiosas exhibebat quotidie: pauper autem plenus ulceribus de mensa ejus colligebat reliquias. Post obitum vero utriusque, pauper erat in sinu Abrahae requiem habens, dives in suppliciis. Nonne evidens est, meritorum aut praemia aut suppicia post mortem manere? Et recte. Quia in certamine labor est, post certamen aliis victoria, aliis ignominia. Numquid priusquam cursus conficiatur, præmio cuiquam datur, aut defertur corona? Merito Paulus: Certamen, inquit, bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi: quod reliquum est, reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus Judex: non solum autem mihi, sed et omnibus, qui diligunt adventum ejus. In illa, inquit, die reddet, non hic. Hic autem in laboribus, in periculis, in naufragiis, quasi athleta bonus decertabat: quia sciebat quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Ergo non potest quis praemium accipere, nisi legitime certaverit, nec est gloriosa victoria, nisi ubi fuerint laboriosa certamina.

COMMENORATIS BEATITUDINIBUS DE EVANGELIO, HIC LABORUM DICIT
ESSE, MERCEDEM IN COELO, PONENS EXEMPLUM ATHLETARUM
ET SPECTATORUM.

Nonne injustus est, qui ante quaerat praemium, quam certamen fuerit absolutum? Ideoque Dominus in evangelio